

respueret autem quidquid non evidenter intelligeret (1). Cartesio plausere omnes *rationalistæ*, qui arbitrati sunt inde sequi nullam fidem adhibendam esse nisi veritatibus quas percipere et *metiri* potest hominis ratio (2).

37. *Rejici* debet regula Cartesii, utpote quæ viam sternat *rationalismo*. — Cæterum, non tantum veritatibus revelatis supernaturalibus, sed ne ipsis veritatibus quæ ex *hominum testimonio* accipiuntur, applicari potest : nam istæ sunt quidem evidenter *credibiles*, nec tamen *a nobis* evidenter percipiuntur.

38. Tenenda est igitur hæc regula : *Nihil pro certo admittendum est, nisi sit aut aliquo modo evidens nobis, aut evidenter credibile*; homo enim, utpote ratione præditus, non adhæret alicui rei, nisi aut *auctoritate evidentiæ*, quum ipse veritatem percipit, aut *auctoritatis evidentiæ*, quum adhæret veritati non a se perceptæ, sed ab evidenti auctoritate traditæ.

Dixi 1° *pro certo admittendum est*; quia philosophus rejicere non debet quæ non sunt *absolutè* certa, si magnam habeant probabilitatem. Equidem semper *tendendum* est ad certitudinem; sed loco certitudinis, quæ non semper obtineri valet, ipsa probabilitas magni est pretii, utpote ignorantiam absolutam expellit, sinitque rem saltem *præsentire* et ad eam appropinquare.

Dixi 2° *aliquo modo nobis evidens*; quia plurimæ sunt veritates tum morales, tum etiam physicæ, ex quibus multæ momenti quidem gravioris, quas pro certis habemus, quin

(1) « Le premier précepte était de ne recevoir aucune chose pour vraie, que je ne la connusse évidemment être telle. » (*Disc. sur la Méth.*, 11° et IV° parties, et *Princip. de la philos.*, 4° p., n. 205, ubi asserit ex humano *testimonio* non propriè dictam accipi certitudinem).

(2) « Ce précepte contient toute une *révolution*; d'abord, il s'applique « à tous les emplois de la pensée; ensuite, il *émancipe* l'esprit et le « pousse à une juste indépendance... Par là tombent d'un seul coup toutes « les autorités..., même les dominations religieuses..., à moins que ces « autorités ne trouvent le secret de nous rendre évidente, et d'une évidence irrésistible, la vérité qu'elles nous apportent. » (*Cousin, Hist. de la philos.*, 8° leçon).

plenam earum evidentiæ et a fortiori distinctam et adæquatam *explicationem* afferre possimus. Nostra igitur certitudo, ob imbecillitatem humanæ rationis, multo latius extenditur quàm *evidentiæ* aut *explicatio* nostra; idque non solum apud indoctos, verum etiam apud doctissimos constat.

CAPUT II

DE SINGULIS CRITERIIS VERI

39. *Notio et partitio criteriorum.*

1° Criteria sunt varia media seu instrumenta, quorum ope veritatem certò assequi possumus.

2° Atqui octo criteria suppetunt homini ad veritatem obtinendam, scilicet sensus externi, intelligentia, conscientia, memoria, ratio tum deductiva, tum inductiva, auctoritas tum divina, tum humana.

Vel enim veritatem ipsi invenimus, vel ab aliis accipimus. *Si prius*, vel intuitivè, vel ratiocinio. Si *intuitivè*, quadruplex occurrit criterium, nempe sensus externi, qui percipiunt veritates reales externas; intelligentia, quæ speculatur propriè veritates ideales; conscientia, quæ præsentia mentis phænomena testatur, et memoria, quæ servat veritates olim perceptas, sive externas, sive internas. — Si veritatem *ratiocinio* adipiscimur, vel syllogismo, vel inductione, prout ex universali particulare, vel ex particulari universale inferimus.

Si posterius, i. e. si agatur de veritatibus quas non ipsi invenimus, sed ab aliis accipimus, referuntur ad auctoritatem aut divinam, aut humanam, prout Dei, vel hominum testimonio confidimus. — De singulis his criteriis disputandum nobis est.

ARTICULUS I

De Criterio sensuum externorum (1).

40. Criterium sensuum externorum primum est ordine temporis et evolutionis, et a reliquis criteriis præsupponitur. Porrò de illo præstat 1° varias opiniones referre; 2° veram probare; 3° falsas repudiare, et 4° diversis objectionibus occurrere.

§ I. — Referuntur variæ philosophorum opiniones circa sensuum externorum vim et corporum existentiam.

41. Triplex prodiit opinio. Scholastici et quidam recentes docent existentiam corporum a sensibus externis immediatè percipi.

Alii admittunt quidem existere corpora, sed variis ex causis, dicunt ea non a nobis percipi, sed *concludi*. Juxta Cartesium, subtrahi debet sensibus percipiendi vis, quia sæpenumerò falluntur, iisque semper illudere posset Genius acutissimus quidam et malignus. Sed invincibili proinque naturali, quanquam *cæcâ* propensione ferimur ad existentiam corporum credendam. Ergo propensio illa vera sit oportet; alioquin error ipsi naturæ auctori imputari deberet; quod ejus veracitati repugnat (*Medit. VI sur la philosophie 1^{re}*). — At Malebranchius, quum negaret corpora agere posse, docuit omnes sensationes quas experimur, non a corporibus, sed ab ipso Deo *immediatè* in animâ nostrâ excitari; et ideo cognitionem corporum per *revelationem* quamdam nobis tradi, cum eam a Deo ipso accipiamus; sed tamen hanc revelationem esse *naturalem*, quia fit secundum leges Providentiæ *generales* nobis notas; unde secernitur a revelatione *supernaturali* (2). — Balmès (3) autem, et cum eo recentes

(1) Cf. opus nostrum *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 3, a. 2.

(2) *Entretiens sur la Métaphysique*, entretien VI, et alibi passim.

(3) *Philos. fondam.*, t. I, l. II, c. 1, 4 et seq.

haud pauci, sic argumentatur: sensatio est mera *emotio* animæ *passiva* et *subjectiva*; unde *perceptionem* corporum minimè continet; at sensatione semel exceptâ, causam ejus *sponte* quærit anima, ac facili negotio intelligit eam nec Deo, nec sibi ipsi, sed agentibus externis ac materialibus attribui debere; sicque *infert* corporum existentiam.

Demum tertia opinio eorum est qui corpora existere *negant*, et mundum totum in *ideis* nostris reponunt. Berkeleius enim putat imagines corporum quæ credimus existere, in nobis a Deo ipso effici. Fichteus autem asserit sensationes ab unicâ mentis nostræ activitate oriri, ideoque *creari* a nobis ipsis rerum externarum imagines; cui opinioni favent quidam philosophi recentes, inter quos Rabier.

§ II. — Declaratur vera sententia circa vim sensuum externorum.

Propositio: Sensus externi, si modo ritè adhibeantur, *immediatè* percipiunt corpora et corporeas proprietates.

42. Regulæ servandæ duæ sunt præsertim; alia scilicet *ex parte objecti*, quod refertur ad corporum existentiam et proprietates, non autem ad essentiam; quodque intra certos limites reponi debet, quin inter objectum et sensum sit aliquid quod obstat ne fiat perceptio juxta leges consuetas.

Alia autem regula *ex parte subjecti* sumitur, ac vult sensum esse sanum et in statu naturæ suæ consentaneo; in somniis enim vel in morbis, sensus agere non queunt juxta vim suam.

43. His positis, statuitur propositio per partes.

Declaratur 1^a pars ex ipsâ *factorum* analysi.

Sit aliquod corpus, v. g. tabula quam præ oculis habeo:

Percipio aliquid *reale* et *extra me* positum; nam hæc tabula distat a me, et revera in sensus meos agit, et ejus actionem experior. — Sed illud percipio ut *corporeum*; nam video hanc tabulam, ut certâ figurâ et certâ mole præditam; ejus etiam pondus mihi experiri licet. — At verò, in illâ perceptione, instinctus nullas omnino habet partes, ut mihi

testis est conscientia; non enim cæcâ propensione ad hanc tabulam feruntur oculi, sed clarè vident. — Verum enim verò non majori evidentia fulget illud principium: *Totum est majus sua parte*, quam judicium istud: *Existit hæc tabula*.

Similis autem analysis de aliis sensibus institui facillè posset.

Declaratur 2^a pars. — Ea est immediata perceptio quæ aliquid per seipsum, nullo mediante ratiocinio, exhibet. Porrò in genere corpora, et impræsentiarum tabulam prope me positam, immediatè sine ullo ratiocinio apprehendo; testis mihi est conscientia me ne cogitare quidem de ullo ratiocinio conficiendo. — Quare *inutilis* est omnis ad veracitatem vel revelationem Dei recursus; et revera, in casu de quo nunc, nullus hominum etiam piorum ad eam recurrit, aut cogitat ad eam esse recurrendum.

Confirmatur unanimi hominum consensione et ipsâ loquendi consuetudine. Nulla enim est veritas quæ homines tam clarè, tam immediatè afficiat quàm existentia corporum. Tantus quippe perceptionis sensibilis est fulgor, ut si rei cujusdam evidentiam amplificare et in summo reponere velimus, dicere soleamus eam esse *visibilem ac tangibilem*. Atqui hoc argumento est perceptionem sensilem esse *normam* quamdam evidentia, ad quam cæteras nostras cognitiones comparemus, cum maximâ luce resplendent.

44. *Quod attinet ad explicandam sensationem et perceptionem corporum*, respondent scholastici duo requiri et omnino sufficere, nimirum 1^o corpora agere in sensus, et 2^o receptâ istâ actione, eos reciprocâ vi agere et sese convertere ad corpora inspicienda. Atqui hæc duo constant.

Constat 1^{um}. — Nihil sanè prohibet quin corpora in nostros agant sensus, utpote qui corporei sunt, licèt vitâ præditi. Imò verò, non tantùm possibilis est actio corporum in sensus, verùm eam, ex dictis, revera experimur, majorem vel minorem, pro eorum mole vel distantia.

Constat 2^{um}. — Sensus enim, animâ informati, facultate cognoscendi præditi sunt; unde simul ac recipiunt corporum actionem, in ea intendunt eaque percipiunt; quippe *necessaria et naturalis* connexio datur inter actionem corporum in

sensus et sensationem, aut perceptionem corporum, quæ a sensibus elicitur, sub ipsâ corporum impressione.

Ex quibus constat errare tum eos qui volunt sensationes esse merè subjectivas, tum eos qui volunt eas a solâ animæ activitate oriri.

§ III. — *Refelluntur falsæ opiniones circa vim sensuum externorum et corporum existentiam.*

45. Porrò variæ istæ opiniones, quæ jam in præcedenti propositione partim refutatæ sunt, *generali* argumento impugnari possunt, quòd scilicet omnes a communi hominum sensu et conscientia testimonio, diverso quanquam gradu, abhorreant. Res patet ex dictis in præcedenti propositione.

Sat igitur fuerit singulas uno vel altero argumento impugnare.

1^o Opinio Berkeleyi, Fichtei et *subjectivistarum* qui asserunt non esse corpora, sed sensationem a solâ animæ activitate oriri, ex eo, inter alia, refellitur, quòd sensationes nostræ alligatæ sunt quibusdam *conditionibus externis materialibus* quæ a nobis minimè pendent; v. g., nec videre, nec audire, nec tangere aliquid possum, nisi positis quibusdam conditionibus, quæ alienæ sunt a voluntatis meæ arbitrio. — Cæterùm, si sensationes ab animâ solâ oriuntur, nulla jam ratio est cur repræsentent rerum imagines *ut externas*, in mundo extra animam posito.

2^o Opinio Cartesii adversatur *ordini* cognitionis humanæ; prius enim corporum quàm Dei existentiam cognoscimus, quia ea immediatè, Deum verò non nisi ope ratiocinii.

3^o Sententia Malebranchii qui sensationum nostrarum causam Deo attribuit, ipsius Dei attributis adversatur: *Sapientia* quidem; vana enim jam sunt corpora, si nihil agunt, et Deus solus producit omnes effectus quibus producendis ea putamus destinari. Porrò, ut ait D. Thomas, « *contra rationem sapientia est ut sit aliquid frustra in operibus sapientis.* » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 60). — *Veracitati etiam*; quia naturâ ipsâ duce, tribuimus corporibus sensationum nostra-

rum causam; si autem in hoc decipimur, cùm error iste sit a naturâ, in Auctorem naturæ refundendus erit.

4° Quòd verò spectat ad opinionem Balmesianam, refutationem sufficientem ejus habes ex dictis supra (n. 39).

46. *Corollarium.* Ex his sequitur ineptè quæri *demonstrationes* ad statuendas veritates *primitivas*, nec accendendam esse lucernam ad monstrandum vel videndum solem.

§ IV. — *Diversis objectionibus fit satis.*

47. *Obj. 1°* : — Testatur experientia sensus sæpe decipi; ergo non habendi sunt pro criterio veritatis.

R. *Dist. antec.*; sensus decipiuntur, non servatis servandis regulis, *conc.*; iis servatis, *neg.*

1° Res patet exemplis ipsis quibus utuntur adversarii; nam loquuntur vel de febricitantibus aut alio morbo laborantibus, vel de objecto extra sensuum limites posito; v. g. de turri quadratâ quæ a longinquo videtur rotunda, vel de re quæ, ut par est, dignosci nequit propter medium aliquod perceptionem prohibens; v. g. de remo in aquis immerso, qui videtur fractus.

2° Plerique tamen errores qui sensibus tribuuntur, oriuntur ex eo quòd ii non applicantur ad objectum *proprium*, sed ad *sensilia communia*, vel *per accidens*.

Sensilia enim communia nata sunt apprehendi non ab uno tantum sensu, sed a pluribus *simul*; v. g. motus, quies, figura. Ac proinde mirum non est errorem obrepere, si unus tantum sensus adhibeatur quando plures adhiberi debent; v. g., si oculis *solis* utamur ad cognoscendum alicujus corporis figuram, magnitudinem aut motum.

Item facilis est sensuum error quoad *sensilia per accidens*; v. g., quoad ipsam corporum *substantiam*. Sensus enim non nisi *indirectè* et *confusè* substantiam corporum attingunt. Directè quidem percipiunt proprietates sensiles concretas, ac proinde indirectè et *confusè* subjectum ipsum iis proprietatibus vestitum. Quo in casu, adhibenda est et ratio, cujus *proprium* est de substantiâ et naturâ rerum dijudicare.

3° *Adde* multos errores ex eo promanare, quòd *præcipitanter* pronuntiamus, priusquam res debitè percipere licuerit; istæ autem fallaciæ non sensibus imputari debent, sed intellectui, qui tunc est temerarius iudex. Sic, v. g., cui brachium aut crus recens amputatum est, putat se experiri dolorem in brachio vel crure. Ast ille, si minùs imaginationi aut præcipationem tribuat et ad rationis iudicium attendat, advertet dolorem non inesse nisi in extremis nervis, prope amputatum membrum, et se in accidentalem istum errorem adduci, ob consuetudinem præviam et mutati status novitatem.

48. *Obj. 2°.* Omnes sensationes quas corporibus, ceu causis, attribuimus, in animâ nostrâ Deus efficere *potest*, quamvis nulla sint corpora. Ergo affirmare non licet eas reipsa oriri a corporibus, non autem a Deo.

R. *transeat antec. neg. conseq.* Non enim ea nunc quæstio agitur, quid Deus facere *potuisset*, sed quid *fecerit* reipsa. Porrò licèt concederetur, quod non absolutè concedimus, Deum potuisse, nullis existentibus corporibus, suscitare in sensibus nostris *omnes* sensationes quas experimur, et *eo modo quo eas experimur* (non enim facilè intelligimus quomodo Deus, utpote spiritualis, in organa sensuum nostrorum *physicè*, ut ita dicam, ageret) non tamen sequeretur ordinem hunc ab ipso reipsa institutum fuisse. Atqui reipsa aliter se rem habere certò scimus. Nam ex dictis (n. 39) immediatè et sine ullo ad Deum recurso, consciis nobis sumus attingere corpora, nempe realem quamdam, *diffusam, physicam, continuam extensionem*, in tali vel tali spatio repositam; v. g. si ad ignem manum admovemus, calorem experimur et simul ignem calidum. Porrò, ut ait D. Thomas, « si sensatio ista in organo ab alio agente fieret, tactus etsi sentiret calorem, non tamen sentiret calorem *ignis*, nec sentiret ignem esse calidum. » (*Qq. dispp. de Pot.*, q. 3, a. 7, c).

49. *Inst.* Porrò Deus ipse *revera* excitat in nobis sensationes, quin sint ulla corpora; v. g. in sanctissimo *Eucharistiæ* sacramento, Deus in animâ nostrâ producit sensationem quam panis et vino referre solemus; et tamen nec panis, nec vinum superest.

R. 1° Hoc factum supernaturale est, nec licet ex eo arguere ad phænomena ordinis merè naturalis. — Insuper, in illo casu, revelatione admonemur ne putemus adesse panis et vini substantiam; unde fides « *supplementum præstat sensuum defectui.* » At contra, in adversariorum sententiâ, *constanti, naturali lege*, Deus omnes sensationes in nobis efficeret, nec ulla interim revelatio foret quâ perpetuum ineluctabilemque istum errorem præcaveremus.

R. 2° *neg. ant.* Siquidem in venerabili Eucharistiæ sacramento, non Deus in animâ nostrâ causa est sensationis quam experimur, sed ipsa panis et vini accidentia, quæ supra omnem naturæ ordinem virtute divinâ sustentantur. Ea porro, licet a substantiâ suâ sejuncta, immediatè percipimus post consecrationem, ut antea (1). Quapropter, ut S. Thomas admonet, « *sensus a deceptione redduntur immunes, dum de accidentibus judicant sibi notis.* » (*In off. de corp. Christi.*)

Infidelis quidem putaret remanere ipsam substantiam panis et vini si videret *hostiam* sacram; verum, ut supra dictum est, substantia corporum est *sensilis per accidens*, quia non nisi per accidens sensus nostri ad eam referuntur; unde facilè decipi possunt, si de illâ absolutè pronuntient. At verò fide admonemur et præcavemus errorem dum discimus sola panis et vini accidentia superesse, quamvis sensus nostri, ex consueto rerum ordine pronuntiantes et nescii miraculi, substantiam panis et vini adesse judicent. In hoc sensu accipi debet illud S. Thomæ: « *Visus, tactus, gustus in te fallitur, sed auditu solo tutò creditur.* » (*In strophe Adoro te.*)

(1) En verba catechismi concilii Tridentini, cujus in Ecclesiâ summa est auctoritas; «... Restat quòd in sacramento maximum « atque mirabile « videatur, quod quidem... facilius a pastoribus tractari posse existimandum est, panis videlicet et vini species *in hoc sacramento sine aliquò re subjectâ constare*; nam cum antea demonstratum sit corpus Domini « et sanguinem verè in sacramento esse, ita ut nulla ampliùs supersit « panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhærere non possunt, relinquitur ut supra omnem naturæ ordinem, ipsa se nullâ aliâ re nisa sustentent. *Hæc perpetua et constans « fuit catholicæ Ecclesiæ doctrina.* » (Part. II, c. IV, n. 44).

ARTICULUS II

De criterio intelligentiæ.

Intelligentia idem valet ac *ratio intuitiva, quæ amplectitur veritates primitivas necessarias.*

50. **Assertio**: *Intelligentiæ vis ex se perspicua est.*

Declaratur 1° *ex naturâ ejus objecti.* Ex definitione, intelligentiæ objectum stat in veritatibus primitivis et necessariis quæ *principia prima* (1) nominantur. Porro, in his principiis, relatio inter subjectum et attributum patet ex solâ terminorum analysi; v. g. in hoc principio: *Idem non potest esse simul et non esse*, relatio inter subjectum et attributum patet ex evidenti contradictione inter *ens* et *nihilum*.

2° *Ex testimonio conscientiæ*; quippe simul ac enuntiantur principia prima, intellectus semel terminis, mentis nostræ rapiunt assensum; v. g. hæc principia: *Totum est majus suâ parte, omnis effectus habet causam*, et alia id genus, ita clara nobis videntur, ut contrarium judicemus *absurdum* et *impossibile*; quare, ut ait D. Thomas, in his « *nulla falsitatis apparentia admisceri potest... unde intellectus non potest subterfugere quin illis assentiat.* » (*In II Sent. dist. 25, q. 1, a. 2, c.*)

3° *Ex eorum interventu in omni humanâ cognitione*; nam *fundamentum* sunt omnium scientiarum, cum in omni demonstratione, imò etiam in omni cognitione supponantur; illis ergo negatis, omnis pessumdaretur certitudo.

(1) S. Thomas vocat principia prima veritates *per se notas*. Eas autem duplicis generis distinguit. « *Quædam sunt dignitates (axiomata) vel propositiones per se notæ communiter omnibus, et hujusmodi sunt illæ propositiones quarum termini sunt omnibus noti... Quædam verò propositiones sunt per se notæ solis sapientibus, qui terminos propositionum intelligunt, quid significant.* » (S. Th., 1^a 2^æ, q. 94, a. 2, c.).

ARTICULUS III

De Criterio conscientiaë (1).

51. Conscientia, prout hic a nobis accipitur, est facultas quâ homo se suasque præsentis affectiones apprehendit.

Primariò quidem, ope conscientiaë, apprehendit homo præsentis suas affectiones cum activas, tum passivas; at secundariò seipsum etiam apprehendit.

52. De primo nulla difficultas; secundum autem non ab omnibus philosophis admittitur, aut saltem non eodem modo explicatur. Kantius enim negat subjectum, seu, ut ait, τὸ ego noumenicum, a nobis, ut est in seipso, apprehendi. Recentes quidam concedunt existentiam subjecti cogitantis nobis innotescere, sed opè ratiocinii, non autem immediatâ perceptione. Scilicet, juxta illos, immediatè apprehendimus diversas nostras affectiones, et, ope ratiocinii, inferimus existentiam subjecti cogitantis quod illis afficiatur.

53. Assertio 1^a: Conscientiaë vis ex se perspicua est.

Declaratur 1^o ex naturâ ejus objecti; ex unâ enim parte, anima est sibi jugiter et immediatè præsens cum variis suis affectionibus; et, ex alterâ parte, est sibi maximè cognoscibilis, cum, in istâ cognitione, cognitum et cognoscens ipsa sit, nec ei sit opus ex seipsâ exire.

2^o Ipsâ experientiâ; siquidem præsentis nostras affectiones nosque ipsos tam immediatè et clarè apprehendimus (v. g. nos cogitare, velle, gratis vel ingratis sensibus affici), ut de iis dubitare minimè liceat; non enim possumus non sentire quæ revera sentimus. — Quamobrem veteres sceptici non de phænomenis internis, sed tantum de noumenis, seu de rebus in se spectatis, dubitabant.

3^o Ex ejus interventu in aliis nostris cognitionibus. Possumus quidem cognoscere, et cognoscimus revera res alias, spontaneâ cognitione, quin de nobis cogitemus; imò sen-

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 1, *Le Moi*.

suum cognitio conscientiaë cognitioni præcedit. Attamen conscientia est *conditio* aliarum nostrarum cognitionum, quatenus eas nobis inesse nos monet. Non enim *proprie* aliquis dici potest scire aliquid, nisi *sciat se illud scire*. Atqui non scit se aliquid scire, nisi ope conscientiaë.

54. Assertio 2^a: Vis conscientiaë attingit ipsum subjectum, sive τὸ ego noumenicum.

Etenim homo, conscientiaë ope, operationes et affectiones suas, præcisè ut *suas* apprehendit. Sed non potest eas apprehendere ut *suas*, nisi seipsum tanquam earum *subjectum* vel *causam* apprehendat. Et *ulterius*, non potest seipsum apprehendere tanquam subjectum vel causam suarum affectionum, quin apprehendat se in veritate suâ objectivâ et attingat τὸ ego noumenicum.

55. Quinimo, ut notat Augustinus, nulla contra vim conscientiaë moveri potest *objectio*. « Nulla, in his veris, *academicorum* argumenta formido dicentium; quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest; quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo quod novi me esse non fallor. » (*De Civit. Dei*, l. XI, c. 26) (1).

56. Assertio 3^a: Existentiam subjecti cogitantis ex affectionibus ejus, ope ratiocinii colligere nec opus est, nec fas.

PROB. 1^a PARS, quia existentia subjecti cogitantis cuique sine ullo ratiocinio manifesta est, utpote quæ immediatè cadit sub conscientiaë apprehensionem.

PROB. 2^a PARS. — Non enim ratiocinatione argui potest existentia subjecti cogitantis ex existentia cogitationum vel affectionum quibus afficitur, quin adsit petitio principii. Nemo scilicet sibi attribuere potest cogitationes suas, nisi priùs supponat se existere qui cogitet, et qui sit suarum co-

(1) His verbis D. Augustinus minimè utitur ad *probendam sibi* existentiam suam, sed tantum *scepticis* ostendit nulla eorum argumenta valere adversus existentiam subjecti cogitantis, ne ipsam quidem dubitationem. Hæc igitur responsio differt omnino ab argumento Cartesii: *Cogito, ergo sum*; in quo ille, si verba ut sonant accipiantur, ex suâ cogitatione directè infert suam existentiam.

gitationum subjectum aut causa. Nam ubi quis dicit : *Ego cogito*, jam supponit se existere, quia non posset dicere : *Ego cogito*, nisi se existere persuasum haberet. Istæ quippe voces : *Ego cogito*, nihil aliud sibi volunt, nisi : *Ego sum cogitans*.

57. *Obj.* — Quidam dubitant quo sensu afficiantur, vel quo ducantur animo, inter agendum, num veri, aut sui amore, an etiam præjudicatâ opinione, vel etiam utrum ista cogitatio voluntaria sit, an merè spontanea; alii autem de identitate suæ *personalitatis* aliquando dubitare videntur; v. g. ægri qui nervis aut alio simili morbo laborant, amittunt nonnunquam sui conscientiam, aut qui fuerint in hoc statu ignorant, ita ut in iis persona duplex inveniatur, et altera ignoretur ab alterâ. Porro hæc argumento sunt conscientiam non esse criterium certitudinis.

R. neg. conseq. Nam priores dubitant quidem de *naturâ*, non autem de *existentiâ* suæ affectionis; sed conscientia non intimam phænomenorum essentiam, sed existentiam tantum pro objecto proprio habet. — Posteriores verò ægri sunt, advertentiâ aut libertate carent, et ideo veritatis aut erroris non sunt propriè capaces, cum sui compotes non sint. — Quòd autem ignorent qui fuerint antea, ad memoriæ, non ad conscientiæ defectum pertinet, sicut cum a somno vel somnio expergefacti, quid somniaverimus vel egerimus oblitii sumus. Nec duplex in illis admittenda est *personalitas*, sed tantum oblivio eorum quæ ipsi in tali statu fecerint vel passi fuerint.

ARTICULUS IV

De Criterio memoriæ.

58. Memoria est *facultas* quâ homo præteritas suas affectiones et cogitationes retinet, et velut olim a se habitas recognoscit. Convenit cum conscientiâ, in eo quòd circa *subjecti cogitantis* affectiones propriè occupatur; differt autem, in eo

quòd præsentis conscientia, dum præteritas memoria respicit. Memoria igitur est veluti *conscientia continuata*.

59. Licet non sit nisi facultas *conservatrix*, magni tamen est pretii. Nam quod ad nos ipsos attinet, tria nos docet, scilicet : 1° subjectum cogitans idem *substantialiter* permanere quod erat olim, proindeque in existentiâ perseverasse per aliquod tempus; 2° ipsum certas affectiones aut cognitiones olim habuisse; 3° exstare certum *ordinem* inter illas, quatenus aliæ aliis *tempore priores* fuerint.

60. *Assertio* : *Memoriæ vis ex se perspicua est.*

Ut memoria certitudinem *immediatam* nobis largiatur, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet : 1° præteritas nostras cognitiones adhuc in mente asservari, et 2° eas a mente recognosci tamquam prius a se habitas. His enim duobus positis, *pristinæ animæ* affectiones non minus præsentis ei efficiuntur, quàm affectiones ipsius actuales; ac proinde tam *immediatè* ab eâ possunt apprehendi. Porro hæc duo debent haberi pro phænomenis exploratissimis, quæ quisque in seipso experitur. Multas namque ex præteritis nostris affectionibus, v. g. sensationes, cogitationes et volitiones, animo tenemus, ac tanquam a nobis prius habitas agnoscimus *immediatè*, non vi propensionis cæcæ, aut ratiocinationis, at ipsâ vi perceptionis manifestæ; v. g. tam clarè et *immediatè* percipio me heri extitisse, huic studio dedisse operam, quàm me in præsentia existere, cogitare, velle aliaque id genus.

61. *Attamen recordatio non est semper immediata*; si enim vel tempore, vel aliâ causâ minuta fuerit, jam *ordinatâ inquisitione* opus est, ut anima sopita *reminiscentiam* exsuscitet, ut ad vivum describit D. Augustinus : « Quid, cum ipsa « memoria perdidit aliquid, sicut fit cum obliviscimur et quæ- « rimus, ut recordemur? Ubi tandem quærimus, nisi in « ipsâ memoriâ? Et illi si aliud pro alio fortè offeratur, res- « puimus, donec illud occurrat, et cum occurrerit dicimus, « hoc est; quod non diceremus, nisi meminissemus. » (*Conf.*, l. X, c. 19, n. 1).

62. *Corollarium*. Ex dictis sequitur sensus externos, intelligentiam, conscientiam et memoriâ id *commune* habere

quòd sint criteria vulgò *intuitiva*, seu immediatè evidentia. Quare non propriè demonstrantur, sed nullà egent demonstratione, imò omni demonstratione clariora sunt.

Insuper, ut demonstrari, ita nec impugnari possent sine quadam *petitione principii* vel contradictione; v. g. qui demonstrare, vel impugnare vellet vim memoriæ, illam in suâ argumentatione præsupponeret. Quævis enim argumentatio pluribus propositionibus constat, quæ singulatim et cum successione inter se comparantur, donec ex iis eruatur conclusio. Porrò ubi conclusio ex præmissis infertur, jam præmissæ præterierunt; nec educi posset conclusio, nisi præmissarum servaretur memoria. — Simili modo liceret ostendere vim conscienciæ, intelligentiæ ac sensuum in omni demonstratione præsupponi, et ideo nec demonstrari, nec impugnari posse.

63. Obj. — Sæpe dicitur: *memoria me fefellit*; vel: *ni fallit memoria*. Ergo inter criteria veri reputanda non est.

R. dist. ant., neg. cons. Quippe istæ voces: *memoria me fefellit*, solùm probant memoriã decipere, si non, ut par est interrogetur, aut præcipitanter mens pronuntiet, aut affirmet plus quàm percipiat. — Istæ verò: *ni fallit memoria*, probant eam quandoque ancipitem hære, ac potentiam quamdam esse satis obliuiosam, non autem fallacem.

ARTICULUS V

De Criterio rationis deductivæ, seu de syllogismo.

64. Intellectus hominis, propter imbecillitatem suam, paucissimas veritates primo intuitu assequitur, plures autem per viam ratiocinationis. Quòd si ex particularibus phænomenis assurgat ad leges generales, *inductivum* argumentum adhibet; sin ex principiis universalioribus ad conclusiones speciales in his comprehensas descendat, utitur argumento *deductivo*, quod propriè syllogismum vocant.

65. Syllogismum esse criterium veri, philosophi omnes admiserunt, illumque habuerunt pro medio *demonstrationis*

perutili. At Baco, Lockius aliique pauciores putârunt solam inductionem ad veritatem *inveniendam* conferre.

66. Assertio 1^a: *Syllogismus est criterium veritatis.*

Syllogismi ars omnis in eo est, ut *inferat* veritates quasdam minùs generales ab aliis veritatibus universalioribus, in quibus continentur. Ut ergo valeat, duo requiruntur et sufficiunt, nimirum 1^o esse quædam universaliora principia quæ sub se habeant veritates alias specialiores; 2^o esse *medium* aliquod vi cuius veritates specialiores detegantur comprehensæ in principiis. Atqui hæc duo constant.

Constat 1^{um}; nam v. g., ista propositio: *parentibus honor est exhibendus*, omnino generalis est, et sibi vult a filiis, quotquot sint, parentibus suis honorem deberi.

Constat 2^{um}; ut enim ad exemplum allatum redeamus, experientiã constare potest Petrum esse filium Pauli. Unde necessariò sequitur Paulo honorem a Petro deberi, quandoquidem jam certum est conclusionem eam arcè connecti cum propositione universaliori: *parentibus honor est exhibendus*.

Quare nemo negare potest conclusionem, quin præmissas neget; ac proinde, si quis, præmissis concessis, conclusionem rejiceret, sibi ipsi contradiceret; qui enim admittit aliquod principium, eo ipso *implicitè* admittit conclusionem in principio clarè contentam.

Confirmatur, quia syllogismus est *naturalis* operatio rationis humanæ. Atqui ratio, perinde ac cæteræ animæ facultates, ad suum objectum ordinatur, a quo deficere nequit, nisi *per accidens*. Falli autem potest per accidens, maximè in longioribus ratiocinationibus, ubi requiritur magna vis attentionis, ut omnes syllogismi regulæ serventur, nihilque aut falsi aut alieni obrepat.

67. Assertio 2^a: *Syllogismus est criterium veritatis etiam inveniendæ (1).*

Illud quippe veritatis inveniendæ criterium dici debet, quod nos docet aliquid priùs ignotum. Atqui talis est syllo-

(1) Cf. Tullius, I *Acad.*, l. II, c. 8; S. August., *De immort. animæ*, c. 1, n. 1; S. Thom. in I *Poster.*, lect. 2^a; Rabier, *Psychol.*, c. XXV, § 2, 3.